DISSERTATIO MEDICA
INAVGVRALIS
DE

HÆMORRHOIDIBUS VESICÆ,

QVAM,
AVSPICE ARCHIATRO COELESTI,
PRO LOCO
IN ALMA EBERHARDINA
DEFENDET

PRÆSES

CHRISTIANUS FRIDERICUS PISTOR,
MED. DOCT. atque PROF. PUBL. ORD.
SERENISSIMI WURTEMBERG. DUCIS
AULIATER,

RESPONDENTE

JOHANNE DANNENBERGERO, Tubing.
Med. Stud.

Ad d. Mart. Anno M DCC XXIX.

TUBINGÆ,
LITERIS ROEBELIANIS.

13

PROOEMIUM.

NOn dubitamus, fore multos, qui, titulo Diſſertationis hujus conſpecto, forſan mirentur, nos de hac materia Theſes conſcripſiſſe, partim, quia caſus numero non pauci extant, qui in Praxi Clinica majorem forte uſum habent, partim, quòd affectus hic apud nos maxima ex parte hactenus fuit incognitus. Verum enimvero eandem ob rationem, quia affectus modo dictus tam rarus eſt, & eum in finem, ut ille, ſi forſan in poſterum in praxi occurrat, melius cognoſcatur, & à cognatis morbis clarius, quam hucusque factum, diſcernatur, operam nos non male locaturos, ſperavimus, ſi Thema hoc pro Diſſertatione Inaugurali, quæ more Majorum & volentibus ita

ſtatutis Academicis pro loco Profesſionis Ordinariæ in Medicina habenda nobis eſt, eligeremus atque paucis in illud paulo accuratius inquireremus. Cæterum B. L. rogamus, velit hunc laborem noſtrum qualemcunque æquo animo ſuscipere, nobisque ignoſcere, ſi, uti facile ominamur, in hac ſubtili æque ac difficili materia non in omnibus ejus deſiderio ſatisfecerimus. Faxit vero ſupremum Numen, ut cuncta cedant in Ipſius gloriam & proximi emolumentum.

§. I.

Antequam de hæmorrhoidibus veſicæ agamus, pauca quædam prælibare liceat de morbis quibusdam notabilioribus veſicæ, inter illos autem primarium fere locum occupat prolapſus veſicæ in ſcrotum, quem *Frid. Ruyſchius Obſ. Anat. Chir. 98.* bis ſe obſervaſſe memorat, ubi nempe tota veſica urinaria in ſcrotum prolapſa eſt, quamque herniam cyſticam dicendam, & cum inſigni difficultate mingendi conjunctam eſſe, uti facile concipitur, asſerit. Sic & *Dn. Mery*, non minus dexter quondam Anatomicus quam peritus Chirurgus *Hiſt. Acad. Reg. Pariſin. Scient. Ann. 1713. p. 23.* mentionem ejus injicit, & affirmare non dubitat, hunc morbum adeo rarum eſſe, ut nullus ipſi Author cognitus ſit, qui de eo egerit. Quare felicem ſe deprædicat, quod ſibi contigerit, eum tertia vice intueri. Idem vero negat, veſicam eo modo, quo inteſtinorum aliquod, in ſcrotum delabi, ſequentibus inductus rationibus, quòd 1. viſcus hoc duplicaturæ peritonæi immerſum

&

& firmius undique annexum, quam ut relaxari & è ſede ſua labi queat, 2. vel per ſe majus ſit, vel ab urina dilatetur, ita ut per annulos à muſculis abdominis formatos tranſire haud valeat. Quin potius hunc prolapſum vitio conformationis adſcribit, idq; tribus obſervationibus in *Actis* dictæ *Acad. Reg. Scient.* confirmat, quarum circumſtantias una cum ſignis diagnoſticis, quæ annotavit, hic recenſere longum nimis foret. Supra laudato *Dn. Mery* contrarius eſt *Dn. Petit* in *Hiſt. Ejusd. Acad. Reg. Sc.* 1717. exiſtimans, talem prolapſum ab urinæ ſuppreſſione atque graviditate poſſe oriri, quam opinionem ſuam multis ibidem ſtabilire conatur. Non minus dantur & alii veſicæ morbi, e. gr. ſcirrhus veſicæ, ruptura veſicæ, vid. *Dan. Sennert. l. 3. Prax. part. 9. ſ. 1. c. 3.* abſceſſus, cancer, qua de re vid. *Nic. Tulp. Obſ. med. lib. 4. c. 37. Gerh. Blaſ. Med. univ. part. 6. ſ. 46. c. 2.* res in veſica generatæ vel in illam delatæ, indeque vel cum vel ſine urina excretæ, uti ſunt materia lactea & pultacea, vid. *Læl. a Fonte Conſ. Med. 75. Balth. Timæus Caſ. Med. 343. lib. 1. E. N. C. cent. V. & VI. obſ. 68.* animalcula varia, conf. *E. N. C. Dec. I. Ann. 6. & 7. p. 225. Ambr. Paræus oper. Chirur. l. 19. c. 3.* aſellus, *Act. Haffn. vol. V. obſ. 105.* vermes, nymphæ & muſcæ, vid. *Ruyſch. Theſ. Anat. I. p. 54.* de urina verminoſa conf. *Thom. Barthol. Hiſt. Anat. 72. cent. IV.* Acus it. tartaro obducta, vid. *Ephem. Germ. cent. I. & II. obſ. 94.* aciculæ plures, vid. *Muyſ. Dec. XII. obſ. 10.* de variis & ſolidis & liquidis cum urina excretis multis agit *Jsbr. Diemerbrœck. Anat. l. I. c. 18.* & *Dan. Sennert. Prax. part. 8. ſ. 2. c. 3. 9.* ulcus ex gelato ſanguine ortum, φθειρίασις, pſora ſeu ſcabies, vid. *Petr. Foreſt. obſ. med. l. 3. obſ. 33.* θριχίασις ſeu capillatio, & quæ ſunt alia.

§. II.

Sed & inter morbos veſicæ rariores atque notabiliores hæmorrhoides referendas eſſe cenſeo, de quarum diverſis ſpeciebus mentionem in genere jam faciemus; occurrunt vero nobis

bis primo hæmorrhoides ani, quæ familiariſſimæ ſunt, inque internas atque externas dividuntur, per illas ſanguis è ramis hæmorrhoidalibus internis, qui venæ portæ propagines ſunt, profundius in inteſtinum rectum effunditur, hæ vero è ramis iliacis venæ cavæ deſcendentis, & inde enatis hypogaſtricis originem ſuam ſumunt, & circa orificium inteſtini recti ſeſe manifeſtant, de quibus præ aliis Cel. *Stahlius* accuratam deſcriptionem nobis paſſim in ſcriptis ſuis tradidit. Secundo conſiderandæ nobis veniunt hæmorrhoides oris & gingivarum, quarum aliquot hiſtorias recenſent *Kerkring. Spicil. Anat. obſ. 25. Cæl. Aurel. Chron. morb. l. 2. c. 11.* impr. vero *Arnold. Bootius* tr. de *affectib. omiſſ. cap. 7.* item *Chriſt. Helwich. E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10. obſ. 118.* has Hippocratem ſuo jam tempore agnoviſſe è *lib. 2. Prædict. S. 2.* non obſcure evincunt collectores *Hiſt. morb. Vratislav. 1701. p. 274.* conf. *Phil. Hochſtetter. obſ. med. Dec. I. caſ. II.* & *E. N. C. Dec. III. Ann. 8. p. 87. App. cent. V.* & *VI. obſ. 49.* ut taceam, ex oculis quandoque à frequenti corporis ob tuſſim commotione ſanguinem erumpere, vid. *E. N. C. cent. V. & VI. obſ. 67.* Tertio conſideratu dignæ ſunt hæmorrhoides uteri ejusque vaginæ, de quibus vid. *Sennert. Roderic. à Caſtr.* & *Mercurial.* Etenim ſecundum Galenum & Celſum hæmorrhagia uteri nihil aliud eſt, quam hæmorrhoidum late ſic dictarum fluxus, & quidem vel ordinarius & periodicus, ſingulis menſibus rediens, vel p. n. in menſibus nimiis, lochiorum exceſſu &c. Quarto penis, ſi venæ corporis nerveo-ſpongioſi urethræ varicoſæ antea factæ tandem rumpuntur, quarum hiſtorias *Cæl. Aurel. l. c. l. 5. p. 152.* & *Riedlinus obſ. Med. 58. cent. III. E. N. C. Dec. II. Ann. 3. obſ. 215.* & *cent. IX.* & *X. obſ. 39.* nobis reliquerunt. Quinto pulmonum, ventriculi, renum, nam hæmoptyſis, vomitus & mictus cruentus etiam certo ſenſu ad hæmorrhoidum familiam pertinent, de quibus vid. *Tr. Exc. D. D. Alberti de hæmorrhoid. part. II. p. 115. & ſeqq.* & *Juncker.* in *Conſp. Med. Theor. Pract.*

Tab.

Tab. X. p. 60. ejusmodi mictus cruenti ſpeciem ex hæmorrhoidibus veſicæ & veſica ipſa ortam ex *Hiſt. morb. Vratisl. Tom. I. p. 283.* allegat, quam errori naturæ, ſanguinem hæmorrhoidalem ad renes transferenti, præcipue vero hæmorrhoidum externarum ſuppreſſioni, & inde factæ ex iſchiadicis venis ad emulgentes translationi adſcribit *l. c. p. 61.* Hæmoptyſis eo reſpectu ad hæmorrhoides referenda, quia hæ male tractatæ aut ſuppreſſæ, ſanguine ad pulmones regurgitante, in hæmoptyſin haud raro degenerant, vel quia ab hæmorrhoidibus non niſi loco excretionis differt, vomitus denique cruenti eadem ratio ſubeſſe videtur, ſi nempe aut per emanſionem, aut per ſuppreſſionem hæmorrhoidum aut etiam menſium ſanguis ad alia loca, nempe è vena hæmorrhoidali interna in venam ſplenicam & ex hac per vaſa brevia in ventriculum fuit delatus, de quibus inſolitis naturæ viis plura vide in *Diſſ. Exc. D. D. Stahl. de mot. ton. vital. p. 5. & 11.* & de *mot. ſang. hæmorrhoid. p. 24.* præprimis de *inſolit. menſ. viis.* Neque modo p. n. fieri hoc exiſtimandum, quoniam vaſa hæc arctam inter ſe connexionem habere avtopſia Anatomica, optima harum rerum dijudicatrix, abunde demonſtrat. Idem quoque confirmat utriusque affectus cura, de qua Auctor ſupra citatus *l. c.* ita loquitur: *Si ab hæmorrhoidum obſtructione malum originem ſumſerit, hirudines ad loca hæmorrhoidalia applicentur, illæ enim, quando revocantur, morbum ſolvunt*, ubi inſimul ad ſententiam ſuam confirmandam *Ettmüllerum* adducit.

§. III.

Sexto referendæ huc etiam ſunt venæ pedum varicoſæ, ſi, uti quandoque fit, ſponte rumpuntur, impr. tempore graviditatis, aut ſi V. S. antea aſſueta neglecta fuit; uterque enim affectus, hæmorrhoides videlicet & venæ pedum varicoſæ unam eandemque cauſam, inflationem nempe venæ iſchiadicæ aut ſaphænæ, indeque eruptionem ſanguinis ex venis ſpontaneam ortam agnoſcunt,

ſcunt, quamvis hoc cum diſcrimine, quod illa congeſtio, nempe in vaſis hæmorrhoidalibus magis activa ſit, hæc vero, ſcilicet in venis crurum, plerumque paſſive ab uteri venas iliacas comprimentis mole contingat. Cæterum uti ab obſtructione vicinarum venarum hæmorrhoidalium malum iſchiadicum oritur, ita eadem ratione ſanguinis ad pedes fit translatio, de qua re vid. ſupra laudatus *D. D. Alberti l. c. part. I. p. 359.* Septimo denique ſeſe nobis offerunt hæmorrhoides veſicæ, de quibus vid. *E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10.* & *Dec. I. Ann. 8. Hiſt. morb. Vratisl. l. ſupr. cit.* & *Cæl. Aurel. L. V. Chron. morb. c. 4.* qui de illis hunc in modum: *Solent*, inquit, *præterea ſicut in podice vel fœminarum ſinu, aut matricis collo, etiam in veſica hæmorrhoides generari, quæ fluorem ſanguinis præſtent*; conf. *Aëtium Tetr. 3. Serm. 3. c. 3.* & *Phil. Hochſtetter. obſ. med. Dec. I. Caſ. II. Schol. Fundit ſæpius & hæc hæmorrhois* (nempe externa) *ſanguinem in veſicam, ut absque renum vitio mingatur, quod in Nobili quodam fuit videre, & non infimæ famæ Medicus de ſe hoc mihi retulit*, quas jam, quoniam in ſpecie de illis agere nobis animus eſt, ulterius examinaturi ſumus.

§. IV.

Et quidem primo quod earum etymologiam attinet, vox αἱμοῤῥοῒς origine Græca, poſt Latina civitate donata derivatur ab αἷμα, ſanguis, & ῥέω, fluo, ſeu à verbo αἱμοῤῥοέω, ſanguinem fundo, vel ſanguinis profluvio laboro; hinc *Matth. Cap. IX. verſ. 20.* γυνὴ αἱμοῤῥοοῦσα dicitur mulier, quæ ſanguinis profluvio laborabat. Eadem vox uſitatius plurali numero effertur, ut dicantur αἱμοῤῥοΐδες & ſubintelligatur φλέβες, ſcilicet venæ ſanguifluæ, ideo maxime, quia, uti *Rein. Solenander. conſ. Med. 20. Sect. 4.* recte monet, rarius una ſola, frequenter plures ſimul venæ ſanguinem fundunt. Vnde patet, vocem hæmorrhoidis generalem eſſe, & quemcunque ſanguinis è venis effluxum denotare, utut mos & uſus fere obtinuerint, ut de illo potiſſimum effluxu, qui è venis ani fit, intelligatur.

telligatur. Recte vero, meo quidem judicio, ratiocinatur. *Jo. Gorræus definit. med. l. 1.* dum ait: *quamvis eæ ſolum venæ, quæ in ano ſunt, ſanguinem effundentes* αἱμοῤῥοΐδες *propriè appellentur, attamen ad earum ſimilitudinem etiam venæ quædam circa uteros mulierum* (adde circa veſicam & alias quoque partes) *ſanguinem profundentes eodem nomine à Medicis dicuntur, easdem enim fere habent, quas & aliæ differentias, & paria ſymptomata inducere ſolent.* Per ſynonymiam dicuntur & hæmorrhagiæ in ætate provectiori contingentes, hæmorrhois enim nihil aliud eſt, quam aliquid ſanguinem fundens, uti id *D.D. Alberti* in *Tr. cit. p. 70.* & *Juncker. l. c. Tab. 5. p. 24. cap. de hæmorrhag.* & quidem in earum differentiis innuerunt. In patrocinium aſſerti mei allegare liceat ſæpe citatum *Cæl. Aurelianum l. c.* ita loquentem: *Fluor autem ſanguinis per veſicam, quem Græci hæmorrhagiam vocant, eſt manifeſtus. Et ſi periodice in ſexu maſculino fluant, nempe ſingulis circiter menſibus, non inepte menſtrua virorum ſalutantur*, conf. *Hiſt. morb. Vratisl. l. c.* De homonymia addo, quod generali ſignificatu quemcunque ſanguinis effluxum denotet, ſpeciali illum, qui è venis inteſtini recti fit, quique, notante Galeno & Celſo, per excellentiam ita vocatur, quod venæ ani præ cæteris frequenter ſanguinem fundere p. n. ſoleant, à quibus Auctoribus vox hæmorrhoidum ad venas ſedis & uteri reſtricta fuit, quæ *Ariſtotelis* temporibus, uti patet è *lib. 2. de part. anim.* de aliis etiam ſanguinis fluxibus uſurpabatur. Pari ratione ſi quando cruor è venis veſicæ urinariæ extillat, affectus hæmorrhoides veſicæ ſpeciali acceptiore non inepte vocantur.

§. V.

Antequam vero ad definitionem hæmorrhoidum progrediamur, par erit, ut pauca quædam de hæmorrhoidum ani & veſicæ urinariæ affinitate præmittamus, conſiſtit autem illa 1. in vicinia loci, quatenus nempe inteſtinum rectum cum collo veſicæ

urinariæ ſaltem in ſexu maſculino connectitur, 2. in communione vaſorum, dum nempe & venæ veſicæ inpr. colli, & externæ inteſtini recti ab iisdem ramis nempe ab hypogaſtricis, qui Iliacarum ſoboles ſunt, pullulant, hæ externæ in mutuos cum internis amplexus ruunt, & mutuam anaſtomoſin non ſolum prope ſphincterem ani, ſed & aliis inteſtini recti locis formant, uti id ex inſpectione anatomica partim, partim ex clar. *Heiſteri Compend. Anat. p. 73. Verheyen. Anat. p. 216.* patet, imo ſunt, qui ex vena hæmorrhoidali externa ramulum aliquem in collum veſicæ excurrere eidemque immergi contendunt, id quod calculo ſuo confirmat ſupra laudatus *Phil. Hochſtetter. Dec. I. Caſ. II. Schol.* dum ita: *vena hæmorrhoidalis externa,* inquit, *ramum in fine habet, qui in viris in veſicam ejusque cervicem & quidem ſurculis majoribus exporrigitur,* inque aſſerti ſui patrocinium allegat *Caſp. Bauhinum l. 1. Anat. c. 20.* A qua vaſorum communione hæmorrhoidum veſicæ cum illis ani correſpondentia clare demonſtratur, unde facile concipitur, eodem impulſu & motu, quo congeſtiones in venis ani fiunt, in illis veſicæ pariter contingere non modo poſſe, ſed & re ipſa accidere, quin & à ſuppreſſione hæmorrhoidum in inteſtino recto ſanguinis fluxum per urethram aliquando oriri, uti conſentiente experientia *Joh. Mich. Savonarola Pract. Tr. 6. c. 19.* aliique teſtantur.

§. VI.

Sequitur jam definitio ipſa: ſunt autem hæmorrhoides veſicæ ſymptoma excretorum, quo nunc major nunc minor ſanguinis copia, vel ſola quantitate vel etiam qualitate peccantis, è vaſis veſicæ urinariæ in hoc viſcus plerumque à natura per motum tonico-ſpaſticum deponitur, & poſt longiorem brevioremve ibi factam moram foras excernitur, eum in finem, ut plethora imminuatur, impeditus ſanguinis in vena cava, iliacis & hypogaſtricis progreſſus promoveatur, adeoque plura, quæ circa illas

ab

ab ejusmodi detentionibus reſultatura eſſent incommoda, præoccupentur. Affectum noſtrum per ſymptoma excretorum definire malumus quam actionis læſæ, utut nos non lateat eſſe, qui actionem læſam tanquam ſymptoma primarium, excretionem vero ut ſecundarium conſiderant. Qua vel majorem vel minorem ſanguinis quantitatem excerni dico, id quod experientia abunde probat. Quandoque vero excretio nulla obſervatur, ſed ſolum tumor vaſorum varicoſus adeſt, quem ſtatum ad imitationem illarum ani hæmorrhoides veſicæ cæcas appellare nobis liceat. Suntque illæ tumor venarum veſicæ à ſanguine in illis congeſto, indeque exire moliente quidem ſed non valente, ortus, & cum dolore tenſivo atque tonico - ſpaſtico partium affectarum conjunctus. In hæmorrhoidibus fluentibus æque ac cæcis quantitate potiſſimum peccat ſanguis, adeoque cauſam remotam conſtituimus plethoram, ſeu juſto majorem ſanguinis abundantiam, qui à quacunque etiam cauſa commotus, in dictis venis accumulatur atque ſtagnat, magis in cæcis quam fluentibus, unde non poteſt non fieri, quin craſis ejus quoque turbetur, & varia qualitatis vitia plethoræ tandem jungantur, prout longiorem vel breviorem ibidem moram nexuit. Dum vero à natura ſeu principio vitali ejusmodi motus inſtitui contendimus, activam eſſe excretionem, nempe quæ à natura certum ob finem intenditur, volumus, adeoque denominationem à potiori facimus; probe ſcientes, quandoque etiam, ſed rarius paſſive per dicta vaſa ſanguinem extillare. Quem finem ut aſſequatur natura, neceſſe eſt, ut motus tonico - ſpaſticos excitet, quibus venæ comprimantur, ſanguis ad ſpecialem hanc partem reſtringatur & dirigatur, ut ad extremitates venarum propulſus, per eas excernatur. Eſt ergo finis plethoræ imminutio, & plurium inde metuendorum ſymptomatum præoccupatio. Inter quæ præcipuum fere eſt, quod, dum

cor ſanguinis copiæ rite propellendæ impar exiſtit, hujus circulus & progreſſus magis minusve retardetur.

§. VII.

Differentias hæmorrhoidum veſicæ quod ſpectat, illæ diverſimode conſiderari poſſunt, vel enim inter ſe, vel ab aliis affectibus diſcrepaut, quorum potiores hæmorrhoides ani & penis, nec non mictus cruentus ſunt. Inter ſe differunt eo, quod aliæ cæcæ, aliæ vero fluentes dici poſſint eodem jure, quo illæ ani hisce appellationibus à multo abhinc tempore inſignitæ fuerunt, de quo diſcrimine modo §. VI. diximus. Antequam enim ſanguis erumpit è venis veſicæ, in iis cumulatur & ſtagnat, venas inflat & varicoſum ſtatum inducit; atque nunc turgentes, nunc etiam tumentes generat, idque eo magis, quo certius eſt, eas cum hæmorrhoidibus ani externis connexionem habere, quas frequentius cæcas eſſe experientia docet. Ubi hoc adhuc notandum eſt, quodſi è venarum pauciori numero & majori exilitate, quæ in veſica ſunt, judicare licet, cæcas hujus viſceris frequentiores quam fluentes eſſe non inepte concluditur, quia ſanguis majorem erumpendi difficultatem utique habet. Quodſi tandem ſanguis à motibus ſpaſtico-tonicis transprimitur & exprimitur, ſive continuo effluxu ſive per intervalla, fluentes omni utique jure vocantur. Secundo loco hæmorrhoides, de quibus inpræſentiarum agimus, ab illis ani differunt multiplici ratione, & 1. quidem ſubjecto ſeu loco affecto, qui in noſtro malo veſica urinaria eſt, maxime ejus cervix ſeu collum, quod majoribus & copioſioribus vaſis dotatum quam fundus, unde & *Cæl. Aurelianus l. c.* non ſolum ex ambitu veſicæ, ſed etiam è collo ſanguinis fluorem fieri pronunciavit, 2. affectus invaſione, illæ quippe, de quibus nos agimus, multo rariores utique exiſtunt quam iſtæ ani, utpote quæ frequentiſſime ingruunt, cujus rei argumenta avtopſia Anatomica non obſcure ſuppeditat, quippe qua edocemur, 1. venas veſicæ non

modo

modo pauciores ſed & exiliores exiſtere quam illas ani, 2. has inteſtini recti non ſolum carneam tunicam intime ſubire, ſed & in nervea demum, imo & in ipſa glandulosa finem ſuum multis ramificationibus attingere, venas veſicæ quidem etiam eo pertingere, ſed ſurculis adeo exilibus, ut vel nihil, vel parum ſanguinis fundere aptæ natæ ſint; 3. diagnoſi, hæ facile dignoſcuntur à Medicis peritis, non æque ab imperito vulgo, qui eas quandoque pro dyſenteria aut alio morbo venditare ſolet. E contrario hæmorrhoides veſicæ à mictu cruento, ſeu, ut clarius loquar, ab effluxu ſanguinis è renibus vel ureteribus facto difficulter diſtinguuntur; 4. modo excernendi, in illis enim plerumque ſanguis vel plane ſincerus, vel cum muco quodam mixtus, in his vero ſæpius cum lotio excernitur, utut materia mucoſa non ſemper omnino abſit.

§. VIII.

Tertio à mictu cruento diſtinguuntur hæmorrhoides noſtræ aliquibus ſignis, quæ non adeo manifeſta, ſed paulo obſcuriora eſſe videntur, unde non mirum, quod cognati hi affectus à multis cum ſe invicem confundantur, eam quoque ob cauſam, quia morbus noſter hactenus parum cognitus, & plerumque pro mictu cruento ordinario habitus fuit. Liceat mihi eſſe paulum prolixiori hac in re, cum in unius dictorum affectuum ab altero dijudicatione cardo rei vertitur. Non parum lucis in hac obſcuritate affundunt aliquot obſervationes hinc inde annotatæ, quæ de mictu cruento ſat copioſo loquuntur, licet dolorem nullum in regione lumbari perceperit, aut etiam aliquod ſanitatis detrimentum paſſus fuerit æger, id quod non levem ſuſpicionem præbet, non tam mictum cruentum, quam potius hæmorrhoides veſicæ fuiſſe morbum, cum quo ille conflictabatur. Ut autem è dictis obſervationibus aliquas in medium proferam, præ aliis notatu digna eſt illa *Jo. Matth. Neſteri, Reipubl. Schneberg. Medici quondam*

dam Ordinarii, quæ tum in *Eph.Germ.Dec.I. Ann.VIII. obſ. 23.* ſub titulo de *mictu ſanguinis copioſo ſine detrimento ſanitatis* legitur, tum etiam *Jo. Georg. Maccaſii Promtuar. Mat. Med.* annexa eſt, de viro habitus corporis obeſi, temperamenti ſanguineo-melancholici. Hic anno ætatis quinquageſimo tertio, poſtquam ante plurimos annos hæmorrhoidum (*ani*) fluxum cum ſummo ſanitatis emolumento expertus fuerat, in ejus ſuppreſſionem incidit, quo per tres annos ſponte ſubſiſtente tandem mictione cruenta correptus eſt, ita, ut ultra libram unam ſanguinis puriſſimi atque ſinceri absque omni dolore & ſine ulla gravitate, tenſione, vel dolore circa regionem renum & ureterum emingeret, quæ mictio, uti vocat, cruenta nunc bimeſtri nunc trimeſtri vel etiam longiori temporis ſpatio & redibat & remittebat, ſine ullo ſanitatis detrimento aut etiam virium lapſu, extra fluxum etiam optime valebat. conf. *Eph.Germ. Dec. I. Ann. III. obſ. 309.* Caſus parallelus annotatus legitur in iisdem Ephemeridibus *Cent.I.&II.Append.p. 192.* ad obſervationem ſupra citatam, qui ſanguinis profluvium in viro ſexagenario cum lotio prodiens ſine notabili virium decremento ſiſtit, ægro, utut per ſeſquiannum duraverit affectus, haud male inde habente. Quodſi jam animo concipimus, mictum cruentum vere ſic dictum notabilem virium proſtrationem aliaque ſymptomata poſt ſe trahere ſolere, quæ in memoratis caſibus defuerunt, ſuſpicio non levis oritur, morbum, qui in illis mictus cruentus dicitur, hæmorrhoides potius veſicæ fuiſſe, quin & certo illud aſſerere audemus. Equidem ſcrupulum nobis movet illud, quod hæmorrhoides non continuo curſu ſed per vices & plerumque periodice fluant. Verum ipſe hic ſcrupulus animo facile excidet, ſi conſideraverimus, in prima obſervatione, quæ præcipua eſt, idem expreſſis annotatum verbis eſſe, quod nempe mictio ſic dicta cruenta nunc bimeſtri nunc trimeſtri,

nunc

nunc etiam breviori aut longiori temporis ſpatio redierit & remiſerit. De quibus inferius, ubi de ſignis agemus, plura dicemus.

§. IX.

Quarto hæmorrhoides veſicæ diſtinguuntur ab illis penis, in quo urethra quandoque ſanguinem fundit, ſi quando vaſa nerveo-ſpongioſi hujus corporis varicoſa reddita carunculam mentiuntur, catheterisque aditum in veſicam urinariam non parum remorantur, tandemque aperiuntur & ſanguinem ſtillant. Sunt autem notæ duos hosce affectus à ſe invicem diſcriminantes, quod in hæmorrhoidibus penis annotante *Chriſt. Helwich. in Hiſt. morb. Vratisl. 1701. p. 283.* ſanguis paucus ſine intermiſſione per tempus notabile manet, & dolore urethra unice afficiatur. Quibus addunt alii, quod ſanguis ille ſincerus, purus, exactoque rubore tinctus ſit, præterea involuntarie, citra mictionem, etiam in ſomno effluat, vid. *Ephem. Germ. Cent. III. & IV. obſ. 51.* Differentiis ſic recenſitis ad affectus noſtri temperamenta ſeu ſubjecta, cauſas tum remotas tum proximas aliaque progreſſus eſſet faciendus, cum vero hæc ipſa quoad plurima cum hæmorrhoidibus ani conveniant, & de his plures jam Diſſertationes Academicæ prodierint, in quibus hæc omnia fuſe tractantur, ne Iliada poſt Homerum ſcribere velle videamur, ſtudio illa omittemus, in quibus cum hæmorrhoidibus ani conſpirant, & ea tantum, quæ noſter affectus peculiaria habet, paucis in medium proferemus; Uti nec litem illam, utrum ſanguis ex arteriis an vero è venis extillet, noſtrum facimus, cum ab aliis jam abunde probatum ſit, evacuationes uti alias, ita & hæmorrhoidales è venis utique fieri.

§. X.

Quod itaque ſpectat primo ſubjectum morbi noſtri principale ſeu partem affectam, eam eſſe veſicam urinariam & potiſſimum ejus collum ſeu cervicem, per quam vaſa ſanguifera magis quam in fundo decurrunt, nemo facile dubitat, ubi tamen notandum,

dum, dicta vaſa longe minori in copia etiam in collo veſicæ conſpici, quam in inteſtino recto, utpote in quo quam maxime luxuriant, unde facile conjicitur, minus cruoris in hæmorrhoidibus veſicæ quam ani excerni. Secundo modum & frequentiam invaſionis quod concernit, uti mictus cruentus non facile ſequiorem, ſed unice fere virilem ſexum corripit, ita quoque hæmorrhoides veſicæ fœminis non æque ac viris obveniunt. Id quod prima fronte mirum eſſe videtur, cum tamen iſtæ a menſtrui fluxus ſuppreſſione hæmorrhoides ani haud raro experiantur, ſive jam menſes præter naturam, ſive propter ætatem ſed paulo citius, ſive ob graviditatem ceſſent, vid. *Hollerius* de *morb. intern. lib. I. c. 55. Theoph. Bonetus Med. Sept. coll. l. 3. S. 11. c. 4. Petr. Foreſtus l. 23. obſ. 4. & 5.* & *cel. Stahlii Diſſ. de hæmorrhoid. intern. mot. p. 5.* quandoque etiam unus fluxus cum altero alternet, quod *Dolæus Encyclop. Med. l. 3. c. 10.* in Principiſſa juniore ſe obſervaſſe annotavit, nempe fluxum menſtruum novilunio & plenilunio hæmorrhoidalem ſtatis vicibus ſe exeruiſſe. Cum etiam ex avtopſia Anatomica innoteſcat, vaſa uteri inferiora æque ac illa vaginæ cum veſica non minus urinaria, quam cum inteſtino recto communicare, miratu non modo, ſed & rimatu dignum eſſe videtur, cur ſanguis per vaſa uterina & vaginæ exitum non inveniens ſæpius ad inteſtinum rectum, non vero ad veſicam propellatur. Item cur hæmorrhoides veſicæ adeo raræ ſint, & ob eandem vaſorum communionem vel ab ætate, vel a veneris abuſu, vel aliis cauſis ſanguis ad confinia propulſus non æque per venas veſicæ quam iſtas ani excernatur? Cui tamen difficultati ſupra aliquatenus reſpondimus. Tertio diſpoſitionem hæreditariam quod ſpectat, quæ ad hæmorrhoides ani frequentiſſime diſponit, ſive fluentes ſive etiam cæcas intelligas, unde *Hollerius loc. ſupr. cit.* integris familiis illas familiares eſſe teſtatur, circa hæmorrhoides veſicæ non æque illa obſervatur, utpote quæ, quia rarus in

univer-

univerſum morbus eſt, multis familiares non ſunt, neque facile à parentibus in natos transferuntur. Quodſi vero à longo tempore aſſuetæ ſunt & in parentibus invaluere, hæreditariæ in filiis utique evadere poſſunt, uti etiam non levis hæreditariæ diſpoſitionis ſuſpicio eſt, ſi dictæ hæmorrhoides in juniore jam ætate ingruunt, hac enim abſente ætatis virilis morbis æque ac illæ ani omni jure adſcribuntur, vid. *Hippocr. Sect. III. Aph. 30.* Dum autem hæc dico, inficiari non volo, hanc diſpoſitionem hæreditariam in poſterum forſan magis cognitum iri, ſicubi natura hujus affectus, quæ plerosque hactenus latuit, diligenti obſervatione magis magisque eruatur & perſpecta fiat.

§. XI.

Quarto hoc peculiare habent hæmorrhoides noſtræ, quod ſanguineæ ſemper aut plerumque, raro & rariſſime mucoſæ exiſtant, aut ſi vel maxime tales appareant, ſtatus hic non multum in oculos incurrit, quia ſi vel minimum muci in venæ extremitate collectum eſt, illud ab urina mox abluitur & fere inſenſibiliter cum urina excernitur, neque veroſimile nobis videtur, mucum, qui quandoque in urina in copia conſpicitur, Gallis *des glaires* dictus, à veſica, quin potius à renibus pullulare, eorumque ulcerationem aut aliam conſtitutionem malam declarare. Quinto hæmorrhoides veſicæ, quia rarius ingruunt, non adeo facile in conſuetudinem abeunt, neque periodum ac typum ita ſervant, neque critici quid tam manifeſte monſtrant, ac illæ ani. Harum quippe exempla proſtant menſtruo tempore ſatis exacte redeuntium. Sic *Andr. Veſalius corp. Hum. Fabr. l. 5. c. 15.* meminit viri, qui ordinatis vicibus, ut mulieres ſuis menſibus, ex venis in ſedem deſinentibus ſanguinis craſſioris fluxu vexari ſolebat. Similem excretionem hæmorrhoidalem menſtruam in viro memorat *Amat. Luſitanus Cent. V. cur. 3.* Id quod in illis veſicæ non æque occurrit, atque, uti opinor, vaſorum vel minori

C numero

numero vel exiliori capacitati debetur. Sed ut verum fatear, ſupra citata *Neſteri* obſervatio, quam notatu digniſſimam eſſe diximus, non obſcure innuit 1. conſuetudinem aliquam eam ob cauſam, quia fluxus ſæpius recurrit, 2. periodum & typum, quoniam vel bimeſtri vel trimeſtri temporis ſpatio redire conſuevit, 3. critici quid quoque ſubfuiſſe, quod ſine ullo ſanitatis detrimento aut virium lapſu, quin potius cum levamine fluxus ille contigerit, adeoque hæc ipſa noſtro aſſerto contrariari videtur. Quare illi audacter inhærere haud volumus, ſed rem hanc diei & ulteriori experientiæ commendamus, memores illius, quod unica obſervatio aut etiam aliquot experientiam non exhauriant, quippe quæ cognitio eſt eorum, quæ pluries & ſæpiſſime uno eodemque modo evenerunt. Tutius ergo eſt, ea, quæ de hæmorrhoidum veſicæ typico, conſuetudinali & critico motu ſupra innuimus, in medio rerum nondum ſatis exploratarum relinquere, donec pluribus de eo factis experimentis ejus certiores reddamur. Sexto quod cauſam proximam & immediatam attinet, affectus noſter non quidem ab hæmorrhoidibus ani, ſed mictu cruento abludit in eo, quod ſanguinis excretio vix niſi per ἀναςόμωσιν ſeu apertionem venarum, à vitali hoc liquore ope motuum ſpaſticorum ad illorum extremitatem propulſo, provenientem contingat, cum è contrario mictus cruentus ſæpe quidem etiam ſimilem in venis anaſtomoſin pro cauſa agnoſcat, ſæpius vero etiam vel διαβρώσει eroſioni, ab humoribus acribus in renibus congeſtis inductæ, vel διαιρέσει ruptioni, quæ eſt à ſabulo & calculis, qui tubulis dictorum viſcerum impacti hærent, jure meritoque adſcribitur. Equidem ſi *Hippocratis* effato fidem denegare religio nobis eſt, ejusmodi excretionem ſanguinis è veſica haud raro per διάβρωσιν evenire ſtatuendum, qui *Sect. IV. Aph. 75.* ita pronunciat: *Si quis ſanguinem aut pus mejat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur.* Quibus verbis innuere

vide-

videtur Medicorum Parens, ſanguinolentam vel purulentam mictionem exulcerationis veſicæ indicium eſſe, niſi quis ſanguinis mictum ad renes ſolum, & illum puris ad veſicam unice reſtringere in hoc textu velit.

§. XII.

Septimo quod res non naturales tanquam cauſas mediatas remotiores ſpectat, circa eas notandum, quod aliæ magis ad hæmorrhoides ani, aliæ magis ad illas veſicæ diſponanr. Et 1. quidem aër fere indifferens eſt ad utrumque affectum inducendum, niſi quod frigidior, cui magis immediatus ad venas ſedis aditus datut, ad illas ani plus conferre videatur; uti etiam 2. cibi calidi & aromatici, ſalſi, acres, fumo indurati, concoctu difficiles, flatulenti, aliique qui vel chylum corrumpunt, vel cruditates generant, vel fæces indurant, aut obſtructiones generant, à quibus vaſa inteſtini comprimuntur, ſanguinis per ea refluxus impeditur, conſequenter ſtagnatio ejus tandemque ruptio contingit. E contrario 3. potus manifeſtius veſicam afficit, ſi vel frigidior juſto, vel fæculentus, vel flatulentus, vel ſtypticus, vel nimia in copia, inprimis diuretica virtute gaudens, aſſumtus fuerit, veſicam vel ad frequentiorem conſtrictionem invitat, vel ob copiam multum dilatat, vel humores majori in quantitate eo propellit, à quibus omnibus aut vaſorum compreſſio, aut humorum congeſtio producitur. 4. Motus immoderatus, præprimis equitatio frequens & vehemens, vectura in rheda vel curru ſucuſſatoria ad noſtrum morbum generandum non æque confert ac ad hæmorrhoides ani. Quies uti & ſomnus & vigiliæ nec non animi pathemata ad utrumque malum inducendum fere indifferenter ſe habent. Longe vero alia ratio eſt 5. excretorum & retentorum, urina quippe juſto diutius detenta vel quantitate veſicam dilatat, vel mora acrior facta eam irritat & ad conſtrictionem invitat, qua poſita & vaſa hujus viſceris cavi conſtringuntur,

guntur, adeoque liquor in iis contentus vel in anguſtias cogitur vel exprimitur. Fæcum alvinarum retentio & induratio vel acrior conſtitutio noſtro morbo nihil præjudicat, niſi forſan veſicam aliquatenus comprimendo, quæ ani hæmorrhoides vel generare vel fovere toto die obſervatur. Hisce merito ſubjungimus 6. externa nempe medicamenta. Omnia quippe purgantia acriora, reſinoſa, multum ſtimulantia, draſtica, in diſpoſitis hæmorrhoidum ani cauſa exiſtunt, ipſa etiam magneſia alba, quæ illorum claſſi alias immerito adſcribitur, teneſmum excitando ab hac culpa non omnino immunis eſt. Item ſuppoſitoria acria, clyſteres acriores, & quæ ſunt alia hujus farinæ. Præ multis aliis vero crebrior aloëticorum uſus, ne dicam abuſus, à longo tempore ſuſpectus eſt plerisque in hæmorrhoidibus ani generandis, de qua virtute vid. *Dan. Sennert. Prax. l. 3. p. 2. c. 13. quæſt. 2.* & *Fonſec. Conſult. 27.* pilulas aloëticas hæmorrhoides adeo inducere contendit, ut è centenis, qui iisdem utuntur, nonaginta hæmorrhoidibus laborent. Quæ omnia aliquem etiam effectum edunt in venas veſicæ & ſanguinem inibi contentum, ſed longe minorem & magis remote. E contrario ſunt quædam medicamenta, quæ potentius in veſicam urinariam quam inteſtinum rectum vim ſuam exerunt, inter quæ allegare liceat illud muſcarum Hiſpanicarum genus, parvos ſcarabæos referentium, quas cantharides alias vocant, has interno uſu adhibitas partibus urinariis infenſiſſimum remedium eſſe, inflammationem & dolores immanes in veſica parere, urinamque ciere notum eſt atque notiſſimum, quamque funeſtæ renibus & veſicæ illæ ſint, vel interius aſſumtæ, vel exterius inconſiderate applicitæ, neminem latet, vid. *Dioſcorid. l. 6. c. 1. Lang. l. 1. epiſt. 47.* quo non obſtante, illarum uſum apud aliquos in Saxonia ſed refracta admodum doſi obtinuiſſe me quoque non latet. Eo non minus referenda eſt Ficus Indica folio ſpinoſo, alias Opuntia dicta, cujus fructus

fructus ficubus haud abſimilis, introque aſſumtus unanimi Botanologorum conſenſu urinam adeo rubicundo colore tingit, ut ſanguinolenta quibusvis intuentibus appareat. Quo ipſo autem hoc minime dictum velim, ac ſi hæmorrhoides veſicæ ſtricte ſic vocatas proritet. Cæterum venus ejusque abuſus quam maxime etiam diſponit ad hoc malum, quia veſiculæ ſeminales, proſtatæ corpora ſunt veſicæ urinariæ continua, adeoque ſi major ad illa affluxus fit, humores ibi pariter cumulari & congeri neceſſe eſt.

§. XIII.

Tandem octavo progredimur ad res præternaturales, quæ uni vel alteri ſæpius memoratorum affectuum natales præbere ſolent, ſuntque præter teneſmum, diarrhœam & dyſenteriam, impeditus ſanguinis circulus aut congeſtiones in vena Portæ aut vena Cava earumque ramificationibus, quarum illæ ad internas, hæ vero ad externas hæmorrhoides ani proxime, ad illas veſicæ non niſi remote diſponunt; quorſum etiam referas omnes evacuationes ſanguinis magis minusve aſſuetas uti menſium, lochiorum &c. vel ſponte emanentes, vel incongruo artificio ſuppreſſas; malum item hypochondriacum, infarctus hepatis, lienis, nec non colicam ſanguineam, Hippocrati *lib.* de *intern. affectionib.* Ileon Hæmatiten dictam, & quæ ſunt alia hujus commatis. Hæmorrhoides veſicæ proxime & magis ſpecialiter inducunt 1. calculus inibi contentus, qui vel mole & gravitate ſua venas maxime comprimit, vel inæqualitate & aſperitate nunc minori nunc majori, tunicam nerveam irritat, ita ut continuo fere conſtringatur veſica, ab utroque vaſis anguſtioribus redditis refluxus ſanguinis paulo impeditior fit, quem congeſtio aut eruptio ejus preſſo pede ſequitur. Qui calculus teneſmum in ano proritando hæmorrhoidum ejus, uti teneſmus in ſede illarum veſicæ cauſa remota exiſtere utique poteſt. Quandoque etiam ſubſtantia

calculoſa fibris veſicæ ejusque rugis multum impacta eſt, ut tunicam interiorem totam calculoſam factam crederes, vid. *Frid. Ruyſch. Theſ. II. p. 3. IV. p. 25.* à quo ſtatu p. n. modo dicti effectus pariter expectandi ſunt. Unde etiam multi Pathologi in ore frequenter habent, multos hæmorrhoidarios obſervari ſimul calculoſos, & vice verſa (paulo mutatis verbis) qui calculo veſicæ torquentur, ad hæmorrhoides proclives eſſe. 2. Varia toto genere præternaturalia in veſica contenta, quæ vel in ea generata, vel per vias nobis adhucdum incognitas eo delata, vel exterius immiſſa fuerunt, ſuntque aciculæ, vermes, aliaque, quorum ſupra §. I. mentionem fecimus, quæque vel pungendo, vel mordendo, vel alia ratione veſicam moleſte afficiendo conſtrictionem ingentem inferre, aut vaſa lædere, ſicque ſtatum hunc p. n. producere apta nata ſunt. Et hæc de differentiis & cauſis hæmorrhoidum veſicæ quantum ad ſcopum noſtrum ſpectat, dicta ſufficiant.

§. XIV.

Itaque par eſt, ut ad ſigna pedem promoveamus & quidem primo diagnoſtica, quæ affectum huncce ab aliis morbis cognatis, præprimis hæmorrhoidibus ani, diſtinguunt, & de quibus ſupra prolixe egimus, quæque deſumuntur 1. à ſubjecto & ſede morbi, quam in noſtro caſu veſicam urinariam eſſe ſupra §. VII. innuimus, maxime ejus collum ſeu cervicem, utpote in qua vaſa copioſiora quam in fundo reperiuntur, 2. à loco excretionis, qui in noſtro affectu membrum eſt, à quo viri dicimur, præcipue ejus urethra, quæ veſicæ continuatio eſt, & per quam ea omnia, quæ è veſica excernuntur, tranſire neceſſe habent. Non vero omnis cruor, qui è virga proſilit, è veſica pullulat, quia, uti ſupra memoravimus §. II. & hæmorrhoides penis dantur, in quibus ſanguis è corpore nerveo - ſpongioſo urethræ profluere ſolet, ubi ſimul ſigna earum, quibus à noſtro profluvio dignoſcuntur, tradidimus. Secundo ſigna etiam diagnoſtica paucis indigitanda

da ſunt, quæ cauſas, è quibus fluxus ille hæmorrhoidalis oritur, ob oculos nobis ponunt, quarum externæ ex ægri vel adſtantium relatione haberi poſſunt, internæ vero plures ſunt, è quibus aliquas tantum allegabimus, nempe humoribus qualitate, magis quantitate peccantibus, ſi hæmorrhoides ani diu aſſuetæ vel ſponte ceſſant aut emanent, vel ſupprimuntur, ſi evacuationes ſanguinis e. gr. V. S. in pede, hirudinum applicatio ſæpius adminiſtrata negligitur, ſi vitæ genus antea activum & valde mobile in otioſum & ſedentarium mutatur, diæta lauta conjuncta, ſi plethora ab animi pathematibus, nimio corporis motu aliisque cauſis commovetur, ſi calculum ſubeſſe è ſignis pluribus cognoſcitur, ſi à cantharidibus interne adhibitis vaſa læduntur, vel ſi ſint, quæ ſanguinis ad venas veſicæ regurgitationem & factam translationem indicent. Tertio ſigna, quæ affectum imminentem præſagiunt, eoque nomine præſagientia vocantur, ſunt vel communia cum affectibus cognatis, videlicet virium proſtratio, crurum languor, aliqualis macies, color faciei flavus, fere citrinus & ad virorem aliquatenus inclinans, ita ut ægri ictero quaſi affecti videantur, quod etiam præſentium ani potiſſimum hæmorrhoidum ſignum eſt, uti hoc ſolo inductus *Petr. Foreſtus l. 23. obſ. 5. ſchol.* plurimos iis laborare magno artis honore pronunciavit. Dolor item abdominis ſatis ſenſibilis, ſpaſticus, tenſivus. Vel propria, quæ non adeo manifeſta ſunt; veſicæ quippe hæmorrhoides cognitu paulo difficiliores ſunt ac illæ ani, quia hæ præprimis ſi externæ fuerint, viſui pariter ac tactui facile patent, noſtræ non æque ſenſibus hisce ſe ſiſtunt. Hinc non parvæ difficultates in diagnoſi partis affectæ ſæpius ſe produnt. Quare in ſigna rationalia, cum ſenſibilia fere deficiant, accuratius inquirendum eſt, & quidem imminentes declarant ſenſus valde moleſtus, lancinans, acutus & quandoque immanis, tenſivus, ſpaſticus, & ardor in hypogaſtrio & ima pube & loco, in quo veſica locata eſt; juxta *Celſum*

quippe

quippe *lib.2.cap.7.* veſicæ læſæ ſignum eſt, ſi circa pubem partes interiores dolent, qui dolor non ſolum in collo veſicæ affligit, ſed & circa veretri initium, quod Græci perinæon vocant, & proſtatas, atque ad urethræ, quæ veſicæ continuatio eſt, finem usque exporrigitur, ſeu, ut *Cæl. Aurelianus* loquitur, *loc. ſupr. cit. p.572. veſicæ ambitu patiente, ſub umbilico vel pubetenus apparet dolor, è contrario in lumbari regione dolor omnis abeſt, gravitas & tenſio, imo & ardor.* Qui dolores in cæcis, in quibus natura finem ſuum, eruptionem puta ſanguinis non aſſequitur, ſed congeſtio magis magisque augetur, atrociores & diuturniores eſſe ſolent, qui à vaſorum apertione & cruoris evacuatione magis minusvè mitigantur. Inflatæ ac turgentes hæmorrhoides aliquando difficultatem vel abſtinentiam faciunt mictus, quam Græci dyſuriam vocant, vel etiam urinæ ſtillicidium, magis fluentes, ſanguine grumoſo initium urethræ obturante.

§. XV.

Fluentium veſicæ hæmorrhoidum ſigna, ſeu quæ præſentem morbum indicant, paulo manifeſtiora ſunt, prorumpit quippe ſanguis, poſtquam ſupra recenſiti dolores, cum dyſuria & teneſmo plerumque conjuncti, per aliquod tempus durarunt & præceſſerunt, ex urethra ſeu membro genitali, modò & quidem frequentius cum urina ipſa, quæ communiter craſſa quandoque etiam tenuis eſt, ſedimentum roſeum exhibens, nonnunquam etiam tartaream concreſcentiam, in cæcis ulceraſcentibus quandoque mucum ſat copioſum in ſinu ſuo alens; modò ante, modò etiam poſt ejus eliminationem. Notatu dignus hac de re locus eſt *Hippocratis Sect. IV. Aph. 80.* ita pronunciantis: *Si quis ſanguinem mingat & grumos & urinæ ſtillicidium habeat, & dolor incidat in imum ventrem & ani & ſcroti intercapedinem*, τὰ περὶ τὴν κύστιν πονέει, *partes circa veſicam affectæ ſunt.* Sanguis vero, qui in quantitate excernitur, plerumque purus, ſincerus, floridus, & cum

urina

urina intime haud permixtus eſt, item fluxilis & tenuior, brevi tamen inſtar gelatinæ in grumos ſpiſſos in matula concreſcit, modo à longiore mora ibidem facta ater, nigricans & ſtatim grumoſus, varios magnos & oblongos cruoris grumos referens inſtar hepatis lucii piſcis, uti in obſervatione *Neſteri* ſupra allegata. Nunc juxta *Cæl. Aureliani l. c. p. 574.* effatum fluor quibusdam intervallis variatus eſt, ſeu per vices contingit & redit, item non coacervate primum fit effuſio, ſed augmentis quibusdam promota interjectis defectionibus. Sic & quando retento ſanguine dolor pubetenus vexat, ac inguina & clunes ac forte etiam teſtes tenduntur, conf. *Eph. Germ. Dec. III. Ann. 9. & 10. obſ. 119.* effluente autem iterum ſanguine ſymptomata hæc omnia ceſſant. *Quæ ſigna pathognomonica* (monent collectores *Hiſt. morb. Vratisl. 1701. p. 283.*) *tanto erunt certiora, ſi fluxus hæmorrhoidum conſuetus antea fuerit ſuppreſſus, lapilli nunquam antea excreti, nec ulla vaſorum ruptorum indicia præſto fuerint, & tandem ſi ejusmodi fluxus periodos ſtatas ſervaverit. Tum enim certius concludi poterit, ejusmodi excluſionem ſanguinis per urethram referendam eſſe ad hæmorrhagias, quas natura ſuo bono, non ruptis ſed hiantibus tantum vaſis inſtituit.* Nec videtur ſtatim de hæmorrhoidibus veſicæ cogitatio abjicienda, ſi in majori copia ſanguis erumpat, quàm è venis ani uno curſu excerni ſolet. Nam etſi ordinariè non confeſtim ex hæmorrhoidibus veſicæ & ani exeat, quod recte notavit *Aurelianus*, fieri tamen poteſt, ut magno aliquando cum impetu erumpat. Fœminis plerumque menſtrua ſtillatim fluunt, at quidnam in certis caſibus fiat, fluxus menſium nimius ipſis Tyronibus notus edocet. Atque hinc recte *Hercules Saxonia lib. 3. Pract. c. 40.* refellit argumentantes à copioſo ſanguine excreto ad renes affectos, exemplo de Nobili Patavino allato, cui per 5. annos ex intervallo ſanguis multus ſponte & ſubito ex apertis colli veſicæ venis vacuatus fuit. Neque etiam cruorem è renibus

 pullu-

pullulare mox concludendum eſt, ſi forte urinæ paulo intimius mixtus ille eſt, & fere loturam carnis refert, qualis in ſæpe citata *Dn. Neſteri* obſervatione apparuit, cum plures numero circumſtantiæ rem hanc variare utique poſſunt. Interim firmum manet atque conſtans, ſanguinem magis ſincerum plus minusve grumoſum, lotioque non intime permixtum plerumque in hæmorrhoidibus noſtris excerni, eoque evacuato urinam clariorem magisque citrinam & pellucidam, nec non ſanguinis expertem quam in mictu cruento emitti, conf. *Eph. Germ. Dec. I. Ann. 8. obſ. 23.* cujus rei certiores utique reddimur, ſi hoc ſanguinis profluvium etiam copioſius ſine ullo in regione lumbari percepto dolore, ſine notabili virium lapſu aut ſanitatis detrimento aliquandiu ſubſiſtit, quæ criteria ſupra §. VIII. recenſuimus.

§. XVI.

Quod jam ſigna hæmorrhoidum veſicæ prognoſtica attinet, in quibusdam eadem illa ſunt cum illis ani, in aliquibus vero ab iisdem diverſa obſervantur. Et quidem ut primo loco quædam de utriusque affectus convenientia in medium proferam, hæmorrhoides in genere moleſtæ magis quam periculoſæ ſunt, imo longe abeſt, ut periculi quid alant, quin potius haud raro beneficium naturæ ſint hæmorrhoides tum ani, tum etiam veſicæ, atque rite, legitime, & moderate fluentes à morbis numero non paucis vel liberent vel ſaltem præſervent, quo intuitu venæ ſedis, quatenus nempe vitam & ſanitatem tuentur, κατ' ἐξοχὴν aureæ, die guldene Adern/ aut per enallagen numeri die guldene Ader vocantur. Notabilis hac de re locus eſt *Hippocratis libr.* de *humor. Sect. II. §. 1. Qui hæmorrhoides*, inquientis, *habent, neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque tuberculis* &c. *corripiuntur*, & *Raym. Jo. Fortis conſult. & Reſp. Med. Tom. II. cent. 3. obſ. 62.* dum ait: *Hæmorrhoides remedium ſunt & hepati & pectori & capiti perutile.* Ratio è ſupra di-

ctis

ctis datu facilis eſt, à natura quippe bene operante hancque excretionem intendente inſtituuntur, quæ ſi finem ſuum aſſequitur, qui eſt depletio portionis ſanguinis ſuperabundantis, hac imminutione liberior & expeditior ſanguinis circulus per vaſa vicina obtinetur, adeoque morbi, qui à plethora ſive ſola, ſive commota originem trahere ſolent, præcaventur & avertuntur, ſi jam in propinquo ſunt, ſin vero principium vitale fine hoc ſuo excidit, ſanguinem abundantem, qui mox ſpiſſior evadit, ad alia loca & viſcera propellit, ibique congeſtiones, infarctus, inflammationes &c. generat. Quo ſenſu etiam *Georg. Hannæus*, poſtquam in *Eph. Germ. Dec. II. Ann. 3. obſ. 215.* multa de hæmorrhagia penis ſpontanea diſſeruerat, tandem hanc ἐπίκρισιν ſubiungit: *Hinc patet, ipſam naturam quaſi provido conſilio imminens amoliri geſtientem periculum, per hanc ſentinam ſuperfluum tantummodo enutaſſe ſanguinem.*

§. XVII.

Magnum vero inter hæmorrhoides ani diſcrimen intercedit, internæ namque reſpiciunt affectus cum vena portæ & viſceribus ei connexis correſpondentes, quales ſunt malum hypochondriacum, hyſtericum, hepatis, lienis, ventriculi, inteſtinorum & meſenterii incommoda plethoræ tribuenda, verbo univerſum mali hypochondriaci apparatum, id quod *Hippocrates* ſuo jam tempore obſervavit *Sect. VI. Aph. 21.* ſcilicet hæmorrhoides inſanientibus ſupervenientes delirium ſolvere. Externæ vero magis concernunt morbos partium & viſcerum, quæ cum vena cava inferiore ejusque ramificationibus connexionem habent, uti ſunt nephritica, nempe mictus cruentus, variaque arthritica mala, iſchiadicum puta, podagricum &c. Jam quia hæ externæ, uti ſupra jam innuimus, cum hæmorrhoidibus veſicæ conſpirant, illa prognoſis, quæ de iſtis hinc inde proſtat, de his quoque, licet non eo gradu valet. Sic *Hippocr. Sect. VI. Aph. II.* pronunciat, nephriticis

riticis hæmorrhoides ſupervenientes bono eſſe. *Foreſtus l.23.obſ.4.* quendam ab omni arthritico malo liberatum fuiſſe teſtatur, & *Schenck.Tom.II. obſ.172.* de mercatore iſchiade laborante & fluxu hæmorrhoidum curato refert. Cel.*Stahl.Diſſ.*de *mot.ſang.hæmorrh.* plurium arthritide, iſchiade & podagra laborantium meminit, qui hæmorrhoidibus ſuccedentibus per plures deinde annos ab iſtis doloribus immunes vixerunt. Et Cel. *Frid.Hoffmannus Diſſ.* de *ſalubr. flux. hæmorrh.* de viro diu malo Iſchiadico laborante memorat, qui poſt uſum acidularum in hæmorrhoides incidit, & perfectè reſtitutus eſt. Non minus *Raym. Fortis conſult. cent. 4. p.346.* in affectibus renum, & cent.3. p.560. in podagra venarum ſedalium apertionem artificialem ſummopere laudat & in Praxi commendat. Idem *Hollerius* de *morb. intern. Schol. ad lib. 1. c. 55.* caſu de Nobili quodam notabili confirmat, cui in graviſſimo renum dolore & mictu cruento hæmorrhois tumens, natura remedium oſtendente aperta fuit, unde incredibili celeritate dolorem conquieviſſe refert, conf. cel. *D. D. Alberti Diſſ.* de *hæmorrhoid. cum calcul. & podagr. conſenſ.*

§. XVIII.

Et hæc intellecta velim de hæmorrhoidibus rite, legitime, & moderate fluentibus, ſine ſanitatis detrimento ſe exſerentibus, imo cum detrimento retentis, aut ſi ante fluxum de laſſitudine & membrorum gravitate æger conqueſtus ſit, eo vero ſuccedente melius habeat; Item quæ tantum non nimium ſanguinis fundunt, (id quod tamen in hæmorrhoidibus ani multo magis in illis veſicæ rarum eſt) ſed & quæ non nimis frequenter redeunt. Quæ è contrario ita excedunt, copioſiores, diuturniores & impetuoſiores ſunt, ut vires inde non parum labefactentur, & præter virium lapſum partium imbecillitas, color faciei pallidus, lipothymia, concoctio læſa, cachexia, tabes imo & hydrops ſuperveniat, mali ominis res utique eſt; pertinet huc *Aretæi lib. 2. chron. c. 4.* effatum;

ſangui-

ſanguinis fluxus, inquientis, *tametſi non admodum cito enecet, tempore tamen procedente infinitos jugulavit.* Uti & quando fluxus ſymptomaticus eſt, ſi periodicus, ita quidem ut non modo frequentius recurrat, ſed & diutius duret, ſi etiam ſubjectum cacochymicum, ſi diætæ & remediorum impatiens fuerit. Quodſi vero excretio plane nulla ſequitur, nihilominus varia molimina vel eminus, vel etiam cominus ſe exſerentia ſubſiſtunt, ſanguis ad extremitates venarum propellitur, quæ inde turgent, adeoque dolorem ſatis exquiſitum, ob partium præprimis tunicæ nerveæ, in quam vaſa terminantur, ſenſibilitatem producunt, qui dolores preſſorii, tenſivi, lancinantes atque etiam ardentes utplurimum ſunt. Ubi vero antea fluxerunt, & poſtea vel ſponte ceſſant & emanent, vel incongrua arte, nempe ſtrenuo adſtringentium uſu ſupprimuntur, lerna malorum magna caterva in corpus humanum irruit, quæ eo major & gravior eſt, quo diutius illæ jam duraverant & in conſuetudinem abierant, ita quo magis hæreditariæ illæ fuerint, quo copioſior etiam ſanguinis excretio erat; mala inde provenire ſolita longa ſerie deſcribit *Jo. Juncker. Conſp. Med. Theor. Pract. Tab. XI. p. 72.* quo lectorem brevitatis ſtudio remittimus, verbo ſolum innuentes, ſanguinem, cujus evacuationem per hæc loca intendit natura, ad partes internas & nobiliores non ſine ſanitatis præjudicio, quandoque & vitæ periculo regurgitare, inibique congeſtiones, infarctus, obſtructionesque parere. Quæ mala in eo differunt, quod non tot & tanta ſint, ubi ſponte emanſerunt, quam ſi quando arte ſed mala ſuppreſſæ ſunt, quia in priori caſu natura alias vias, per quas à ſarcina ſua ſe liberare intendit, quærit & non raro invenit. Non minus *Hippocrates loc. ſupr. cit.* è *libr. de humor.* poſtquam plures affectus recenſuerat, tandem ſubjungit hæc verba: *Intempeſtive tamen curati, multi brevi hujusmodi morbis correpti ſunt, eamque ob cauſam perniciosè habuerunt.* Ubi iterum annotandum, morbos, quos ab hæmorrhoidibus male ſe

 haben-

habentibus provenire diximus, ob rationes ſupra allegatas majori in gradu ſe exerere in illis ani, quam in noſtris, ſi dolores excipias, qui ſenſibiliores aut ſaltem æque magni ſunt in noſtris, ad minimum diuturniores, quia ob vaſorum paucitatem & exilitatem perruptio ſanguinis tardius & majori cum conatu & preſſione fieri aſſolet: ſed ſatis de his.

§. XIX.

Pergimus ad ea ſigna prognoſtica, quæ hæmorrhoidibus veſicæ propria magis ſunt. In quibus recenſendis primum jure locum invenit illud è tripode velut dictum *Hippocratis* prognoſticum, dum ait: *Sanguinem mingere raro quidem & ſine febre ac dolore nihil mali ſignificare, ſed laſſitudinum ſolutionem fieri*; Scilicet in ætate juvenili, corpore robuſto & vegeto, de ſenili vero longe aliter *Sect. VI. Aph. 6.* pronunciat his verbis: *Quæ circa veſicam conſiſtunt affectiones, operosè ſanantur in ſenibus.* Utique hæmorrhoides veſicæ majoris conſiderationis eſſe videntur, quia 1. ob minorem vaſorum numerum, majoremque eorum exilitatem ſanguis non adeo facile prorumpit quam per venas ſedis, unde fit, ut dolores potiſſimum circa veſicæ ſphincterem & ad urethræ extremum fere ſe extendentes tenſivi, ſpaſtici, preſſorii, vibratorii, tractorii & lancinantes majori in gradu ægrum affligant & defatigent, inſuper absque levamine diutius durent atque ſubſiſtant, unde dysuria, ſtranguria, & ob tunicæ muſculoſæ, qua veſica gaudet, frequentem contractionem perpetuus fere mingendi conatus, quandoque inflammatio veſicæ & ſubſequens gangræna concurrit; 2. medicamenta non ita immediate parti affectæ applicari hic posſunt ac in illis ani. Me quidem non latet, injectiones fieri in veſicam poſſe, quæ ad locum dolentem utique perveniunt, ſed omnia remedia in formam liquidam redigere haud convenit, & ſi vel maxime illud ipſum præſtemus, metus eſt, ne liquor, in quo illa diſſolvimus, eorundem virtutem non parum obtundat. Quodſi

vero

vero & hoc obtinuerimus, non diu parti affectæ applicita manent medicamenta ita injecta, ſed brevi iterum vel mole gravia, vel irritatione moleſta eliminationem ſui poſtulabunt. Inter illa autem 3. tanquam præcipuum, & quod reliquis omnibus palmam præripit, hactenus venditatum fuit hirudinum applicatio, utpote quæ in hæmorrhoidibus ani ſanguinem in venis ejus ſtagnantem proxime & immediate exſugunt, eoque ipſo naturæ intentioni apprime reſpondent, hujus vero remedii alias efficaciſſimi uſum in hæmorrhoidibus veſicæ tantum non eſſe, quivis vel me tacente facile intelligit, valeat vero quantum poteſt horum inſectorum applicatio, ſanguinem è longinquo, quantum poſſibile, evacuando. Quæ difficultas in cauſa eſt, ut, ſanguine vel nullum, vel exiguum & vix notabilem exitum inveniente, ſtagnatio augeatur, malum ſenſim invaleſcat, periodicum & habituale tandem evadat, & pluria gravia ſymptomata poſt ſe trahat.

§. XX.

Ultimo tandem loco pergimus ad hæmorrhoidum veſicæ curam, circa quam prolixi non erimus, eam potiſſimum ob cauſam, quia illa in multis conſpirat cum curatione, quæ in hæmorrhoidibus ani adhiberi ſolet, hæcque in multis numero Scriptoribus, ut & Diſſertationibus Academicis tradita abunde jam fuit. Indicationum aliæ ſunt generales, & 1. quidem curatoria, quæ morbum ipſum, 2. præſervatoria, inventione ſecunda & executione prima, quæ cauſam morbificam, 3. vitalis, quæ vires partisque roborationem reſpicit; aliæ ſunt ſpeciales, juxta quas 1. ſanguinis orgaſmus temperandus, 2. ſtagnatio reſolvenda & affluxus aliorſum derivandus, 3. partium tonus roborandus, quarum omnium mentionem ſpeciatim jam faciemus. Remedia, quæ modo recenſitis indicationibus ſufficiunt, peti ſolent è triplici fonte, nempe Pharmacevtico, Chirurgico atque Diætetico. Primum quod attinet, probe examinandum Medico eſt, num nimius an moderatus ſit

fluxus,

fluxus, utrum expeditè, an vero cum difficultate procedat, id quod plerumque fieri in noſtris obſervatur, ipſique ſerio cavendum, ne, præprimis in aſſuetis, illum ſiſtere allaboret, non immemor gravium ſymptomatum, quæ ab ejus ſuppreſſione ſupervenire ſolent. Cogitet quoque, longe citius & facilius eundem à cohibentibus ſupprimi, quam mitigari, uti & illas, niſi ad motus corporis laborioſos & artificiales ſanguinis imminutiones aſſueſcat patiens, ſi legitime & cum εὐφορίᾳ ægri fluant, non eſſe curandas ob intempeſtivum timorem, ſed à medicamentis abſtinendum, maxime ſi plura eorum incaſſum adhibita fuerint, & totum negotium naturæ committendum, eo magis, quo magis fluxum ejus beneficium eſſe cognoſcitur, & à ſanguinis copia productum, viresque inde non labefactantur. Motus quippe naturæ nunquam non attendendi, multo minus turbandi ſunt, unde, ſi Medicus hisce contraniti allaboraverit, ægro ab hoc quam à morbo plus timendum. Sane hæmorrhoidum fluxus, ſi quis alius, circumſpecte tractandus. In legitimis, quæ modum tenent, alvus ſolum aperta ſervanda, bona diæta, abſtinentia à cibis flatulentioribus & potu ſpirituoſiore requiritur, ſi vel ob errorem circa res non naturales commiſſum, vel alias cauſas parcè nimis fluant, reſolventia, incidentia, attenuantia & aperitiva amara propinentur; qualia ſunt rad. vincetox. leveſtic. pimpinell. alb. Zedoar. galang. ari, cort. Winteran. tartar. vitriol. Tachen. ſalia fixa plantarum, quæ reſolventia in mucoſis apprimè conveniunt, non neglectis leniter laxantibus, quæ motum humorum ad inferiora invitant, atque ſanguinem diluentibus. Inter laxantia præ aliis conveniunt MPil. tartar. Querc. Beccher. Stahlii, vitando acriora omnia, quæ humores irritant, & nimium eo invitant, clyſteres injecti egregiè temperant & congeſtiones abdominis reſolvunt, non vero ſint acriores aut ſtimulantes, ſed demulcentes, ex emollientibus, nervinis, & lenibus purgantibus parati; ut & eſſentiæ incidentes ex Eſſ. pimpin. alb. cort. ☉tior. TRa

antimon.

antimon. acr. in uſum vocentur, ſi vero nimis fluant, adhibeantur ad motus hosce ipſumque fluxum contemperandum lenia laxantia e. gr. rhabarbarina, ut alvus aperta ſervetur.

§. XXI.

Secundo ad qualitatem acriorem, turgeſcentiam ut & motum & orgaſmum nimium contemperandum conducunt abſorbentia terrea, oſtracodermata, item antiſpasmodica ſic dicta nitroſa, cinnabarina, diluentia & leniter diſcutientia, carminativa, quibus plerisque ſymptomatibus occurritur, impr. vero clyſteres modo commendati ad ſymptomata, maxime orgaſmum mitigandum, magnum levamen afferunt. Et ſi tanta in copia fluant, ut lenioribus adſtringentibus cohibendum eſſe fluxum judicetur, pulvis è corall. rubr. nitr. ſpec. de hyac. addito unico MPil. de cynogloſſ. grano paratus raro Medicum deſtituit, aut millefolium vel adianthum album in decocto vel infuſo cum nitroſis maritatum, TRa item vitriol. mart. bene parata; *Dn. Chriſt. Helwich.* in *Eph. Germ. Dec. III. Ann. 9. & 10. obſ. 119.* infuſum theiforme ex herb. equiſeti mane, & veſperi pulv. nitroſum in decocto eodem, nec non ter de die ſuccum urticæ in juſculo ſumtum mire laudat; à fortioribus vero omni modo abſtinendum, ne penitus ſupprimantur, & natura in motu ſuo turbetur, unde gravia ſymptomata natales ſuos ducere ſupra innuimus, nempe ſanguinem, vel quantitate ſolum, vel etiam qualitate peccantem, in alias partes nobiles non ſine præſentaneo vitæ periculo deponi. *Joſeph. Vulpinus* in *tr. V. oper. Med. Pract. & Philoſ.* quæ *1726. Parmæ* prodierunt, & in *Act. Erud. Lipſ. 1727. menſ. April.* recenſita ſunt, pilulas ad omnes hæmorrhagias, potiſſimum ad ulcera veſicæ, renum & aliarum partium internarum cum ſanguinis fluxu combinata mire commendat, quæ è vitriolo ſexies dulcif. cum phlegmate vitrioli vel aq. ſperm. ranar. irror. & exſicc. gumm. arab. cer. alb. aa unc. ſem. balſam. peruv. drachm. I. parantur; item alia quæ pro ſpecificis venditantur, Dens Hippopot. Lap. Manat. Priap. cet. &c.

§. XXII.

Sed & quædam de medela hæmorrhoidum ſuppreſſarum dicenda ſunt, quo in caſu medium tenere arduum plane negotium eſt, ſi trita à longo tempore naturæ via fuit. Ab una quippe parte laborioſum utique eſt atque difficile, lenioribus earum fluxum revocare, & ab altera parte, ſi paulo efficaciora huc facientia adhibentur, ille ipſe plerumque juſto copioſior recurrit & diutius durat. Ut ergo medio tutius eamus, præmiſſa V.S. in pede, reſolventia & attenuantia junctis diluentibus in auxilium vocemus, ut & lenia laxantia ſupra commendata, uti ſunt aloëtica correcta & refracta, pilulæ Francofurtenſes, Elix. Propr. Parac. MPil. tartar. Querc. de ammon. For. aut quæ magis conducunt Pil. Beccher. Stahlii, nec non infuſa ex herb. & rad. reſolvent. aperient. & amaris cum rad. rhabarb. fibr. helleb. n. & ſalibus parata; non minus acidulæ hic conducunt in ſanguineis potiſſimum ſubjectis, utpote quæ & leniter promovent, & M. S. diluunt, atque attenuant; ſi martialibus nimium fœtæ illæ ſunt, ad tumores œdematoſos diſponere poſſunt. Non vero ſusque deque habenda hic ſunt, quæ de cauto diureticorum uſu ſupra inculcavimus. Et ſi ſtimulantia alia adhibere è re eſſe judicetur, uti ſunt helleborata, moderata illa ſint, aut nitroſa & abſorbentia interponantur, ne fortioribus ſtimulantibus, imprimis humoribus prius non attenuatis aut mobilibus redditis, congeſtiones aut obſtructiones interius augeamus. E quibus quilibet facile colligit, hic, ſi in ulla alia re, Judicio medico opus quam maxime eſſe, ne charybdin evitare conantes in Scyllam incidamus, aut potius ægrum in non leve periculum conjiciamus. Sanguinis quantitate per V. S. imminuta, & congeſtione ſeu obſtructione magna ex parte ſublata, ſi vaſorum tonum labefactatum eſſe haud obſcure colligitur, Tonica in ſubſidium vocanda ſunt, quorum catalogo adſcribi merentur tum ſupra commendatus pulvis leniter adſtringens, è corall. rubr. & ſpec. de hyac. tum etiam millefolium in forma decocti vel infuſi datum, in quo tamen præſcribendo caute mercandum eſſe Cel. *Stahlius* plus una vice monuit; conducit hic etiam TRa vitriol. mart. Ludov. bene præparata. In ſanguineo-phlegmaticis, aut phlegmaticis admittimus etiam TRam tonico-nervinam è TRa antimon. acr. & Spir. CC. parandam, quam in cholericis exulare volumus.

§. XXIII.

Ad hæmorrhoides vero cæcas curandas conveniunt eadem, quæ ſupra jam in medium prolata ſunt remedia, præ aliis lenia purgantia, V.S. antiſpasmodica atque demulcentes clyſteres, propter commotiones internas ſpaſmodicas & ſtrictorias concurrentes. In ſubjectis phlegmaticis, aut phlegmatico-

ſanguineis conducunt eſſentiæ reſolventes & moderate diureticæ, e. gr. TRa antim.tartariſ.cum eſſentiæ ſuccini parum commixta, liq. terr.fol. tartari cum TRa antimon. tartaris. Sed cavendum, ne vel hæc majori in copia & doſi, vel alia fortiora adhibeantur, id quod *Cæl. Aurelian. morb. chron. l.5.c.4.p.575.* ſerio inculcat, dum ait: *Cavendus præterea uſus urinalium medicaminum, quæ diuretica Græci vocant. Etenim veſicam provocant, & propterea tumores faciunt promoveri, adde & humores tum ſeroſos tum ſanguineos ad renes & veſicam propellunt.* Externè in cæcis hæmorrhoidibus ani laudantur plurima & pene infinita, inſeſſus, balnea vaporoſa, fomentationes, cataplaſmata, unguenta, linimenta, inunctiones, ſuffimigia, ſectiones, ſcarificationes, uſtiones, ſuppoſitoria, quæ cæcarum dolorem mitigare ſolent, locum vero hic non habent, aut ſaltem notabilem effectum non edunt, quia parti affectæ immediatè non applicantur; uti nec ea, quæ ad aperiendas hæmorroides ani vel illiniuntur, uti ſucc. bet. cyclamin. cent. min. vid. *Sennert. Prax. lib.3.p.421.* item lac ficulneum *Fonſec. l.1. conſult. 27.* vel imponuntur, uti folia ſerratulæ. Neque concrementum illud tunicaceum piſcis Rajæ, quod pro utero ipſius habetur, & pro ſpecifico ſingulari à clar. *Spenero Epiſt.* ad celeb. *Valentini* ſcripta venditatur, in forma ſuffimigii, ut vapor dolentibus partibus admittatur, adhiberi ſolitum in ani hæmorrhoidibus, multum hic præſtabit, ob rationes ſupra allegatas, quia parti dolenti immediatè applicari nequit. Frictiones dorſi, femorum & pedum cum linteis calidis, aut aliis rebus aſperis in planta pedis ſuſceptas ad promovendum, & ligaturas in extremitatibus applicitas ad ſiſtendum nimium fluxum, non omnino inutiles eſſe cenſeo. Secundo remedia hunc in finem è fonte Chirurgico petita ſunt V. S. in pede ſcopo derivatorio, ſi molimina ad hæmorrhoides, indeque pendentes varii dolores & incommoda in abdomine urgent, vel ſi fluxus paulum immodicus fuerit, in brachio revulſorio ſcopo locum habere poterit, ut uberior ſanguinis affluxus ad has partes intercipiatur, hirudines ano applicitæ hic conveniunt æque, ac in illis ſedis, ut ſanguis, quantum poſſibile, è longinquo evacuetur, quia proxime fieri non poteſt. Injectiones in veſicam urinariam primum inter medicamenta externa locum facile tuentur, utpote quæ parti affectæ immediatè applicantur, & aliquandiu applicitæ manent. In cæcis ſi dolores multum urgent ex anodynis ſeu potius demulcentibus fiant, qualia ſunt oleoſa, mucilaginoſa, item lac, butyrum &c. In fluxu paululum immoderato è lenibus adſtringentibus & ſimul tonicis illæ parentur, inter quæ reliquis palmam facile præripit Aqua travmatica ſeu vulneraria Lemery (*Eau d' arquebuſade*) vulgo dicta, de cujus ingredientibus & præparandi modo Diſſertatio Academica *Heidelbergæ 1722.* in

lucem

lucem emiſſa eſt; pediluvia, quibus ſanguis deorſum invitatur, & congeſtionibus in abdomine occurritur, adhibere quoque convenit, frictiones item pedum, & cucurbitularum cæcarum applicationes ad ſuras & femora, pro inſtituenda quadam diverſione. Amuleta in noſtris eundem effectum edere haud valent, quem in illis ani, qualia ſunt radix ſcrophulariæ, herba linariæ & flores verbaſci, fructus cardui hæmorrhoidalis, præ aliis radix telephii ſeu fabariæ recens inter ſcapulas propendens, quod cel. *Wedelius* in *Eph. Germ. Dec. I. Ann. 2. obſ. 195.* egregio cum encomio in Medicorum Scholis induxit, conf. *Act. Haffn. Vol. I. obſ. 51. P. Caſtellus*, Meſſanæ Medicus, expertus eſt, hæmorrhoides, ſi tangantur tuberoſa radice chondrillæ ſiccari, ſi chondrilla ſiccetur, quod in noſtro affectu modo præſcripto adhibere non licet.

§. XXIV.

Tertio diætam hæmorrhoidariorum quod attinet, vitent, quantum poſſunt auram humido-frigidam, udam, ſqualidam, nebuloſam, ſeſeque in moderato calore conſervent, &, ut ſanguis in debita fluxilitate conſervetur, requiritur debita partium flexilitas, congrua viarum & locorum permeabilitas, legitimus aliarum & quidem ordinariarum ſe- & excretionum ſucceſſus; fugiant quoque animi pathemata, præ aliis iram, quæ humores potiſſimum commovent & orgaſmum inferunt, vitam ſedentariam, otioſam, præprimis poſt vitæ genus mobilius aſſuetum, atque potus ſpirituoſiores; motus ſit moderatus, cibos eligant evpeptos, temperatiores, demulcentes, inpr. in cæcis attenuantes, aperientes, humectantes & laxandi vim habentes, non flatulentos, ſicciores, acidos, ſalitos, multò minus fumo induratos aſſumant, verbo omnes incongruos; cæterum omnes res non naturales, fluxum huncce turbantes, ſummo ſtudio evitent, atque ita omnes bonæ diætæ regulas obſervent, quarum ſi quis ulteriorem deſideret explicationem, adeat ille *Tr.* clar. *D. D. Alberti* citatum & quidem caput, in quo de *diæta & regimine hæmorrhoidum* agit. Denique extra paroxyſmum præſervationis gratia conducunt V. S. ad plethoræ imminutionem, & moliminum mitigationem circa Æquinoctia adminiſtratæ, nempe vernali & autumnali tempore, quarum neglectus in plethoricis recidivæ anſam facile præbet, lenes laxationes, eum in finem datæ, ut humorum dyſcraſia viſcida, mucida, ſalina reſolvatur & corrigatur, vel potius evacuetur, ſcarificatio in ſubjectis aſſuetis & ſpongioſis, & hirudinum applicatio, peregrinationes moderatè inſtitutæ & mutatio locorum. Et hæc ſunt, quæ de hæmorrhoidibus veſicæ commentari animus erat, DEO T. O. M. pro conceſſis viribus ſit laus, honor & gloria in ſeculorum ſecula.

FINIS.